tractare jubentur, inviti valde & tardi, deprehenduntur, vel etiam seditionem movent.

7. Omnibus hæresibus & sectis patens janua præbetur.

Hæc sunt illa, ex quibus judicium de optima Reipublicæ forma faciendum est.

De Mutatione Rerumpublicarum in aliam Formam.

ASiatici, Africani, & Americani populi, non tam propter singularem naturæ proprietatem (ut quidam falsò existimant) quam propter diuturnam consuetudinem & aliarum gubernationum ignorantiam, omnes sub regio degunt imperio, eoque absoluto & severo, neque unquam ab antiquis usque historiarum monumentis aliam gubernationem experti sunt. Atque ideo valde mirantur, quando Europæi ipsis exponunt, hic gentes sine Rege vivere & gubernari feliciter. Unde fit, ut in India postquam Belgæ (Hollandi ibi vocantur) illuc navigârunt, Princeps Arausionum vocetur ab Indianis Rex Hollandorum, quem titulum etiam illi in literis suis tribuunt. Et Rex in Iohor (est provincia Malaccensis Chersonesi in India) cum Belgæ ipsi enarrâssent formam Reipublicæ Belgicæ, nempe hanc à multis administrari neque Regis alicujus imperium agnoscere, effusè adeò risit, ut vix quadrante horæ se colligeret atque reliqua enarrandi l cum Belgis concederet, ut in Navigationibus Belgarum me legisse memini. Europa sola ex quatuor terræ partibus varias formas regiminis experta est. Regiam quidem absolutam potestatem nulla Europæ provincia agnoscit, præterquam Hispania, & jam ab aliquot seculis Gallia, atque eæ partes quas Turca tenet: reliquæ Europæ regiones vel à regibus reguntur, quorum potestas certis astricta est legibus, idque in quibusdam magis, in quibusdam minus, (quod indicium est Mixtæ Reipubl.) vel Democratiâ, vel mixtâ ex Democratia & Aristocratia fruuntur.

Atque hæ varias subierunt mutationes. Periit Respublica Athenensium, Thebanorum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum & quæ alias devoraverat, Romanorum, atq; jam Regia imò tyrannica Turcici Imperii potestas successit in Græcia, in Romano territorio Pontificis authoritas.

Helvetii jam olim Democratiâ gaudebant tempore Julii Cæsaris à quo ad Romanum Imperium redacti & deinde Burgundiæ Duci (aliis tamen interpositis gubernationibus) paruerunt, ante aliquot verò secula pristinam libertatem & Democratiam recuperârunt atque in hunc usque diem tuentur. Ità Belgæ, quos Fœderatos vocamus, cum antea variis Regibus atque ultimò Duci Burgundiæ atque Hispano, quatenus hic Dux est Burgundiæ,

gundiæ, paruissent, jam rejectâ regia potestate, mixtam ex Aristocratia & Democratia formam gubernationis amplexi sunt. Italia ante Romanam potentiam varias habebat gubernationes, deinde uni Romanæ Democratiæ subjecta fuit, mox Imperio Romano, hodie iterum in varias gubernationes divulsa cernitur. Sic Scoti & Angli modò unam Rempublicam, mox duas constituerunt.

DE NUMERO RERUM PUBLICARUM.

MUltò plures olim fuisse Respublicas, quam hodie ubi plures regiones paucioribus reguntur Imperiis, nemini potest esse ignotum, qui historias diversarum regionum legerit. Germania olim numerabat multos Reges, Hispania plures, Insula Creta quadraginta, Græcia plurimas Democratias. Sed partim prudentiâ hominum, qui viribus conjunctis tutiores se fore ab hostibus autumabant, partim hæreditate & conjugio, partim insatiabili hominum cupiditate regnandi factum est, ut multi populi in unam Rempublicam coacti sint. Et propter hanc mutationem non potest constans earum numerus colligi. Hæc nostra ætas luculenta ejus varietatis exempla præbuit, cum primo Lusitaniæ regnum cum omnibus Indiæ & Africani littoris ditionibus Regno Hispanico avulsum est & peculiare regnum dedit: deinde cum Hispaniæ Rex Belgas fœderatos liberos pronuntiavit atque omni in eos potestati & juri renuntiavit solenni & publico ritu. Tertium exemplum funestum sane, nuper dedit Anglia, postquam potentiores necato Rege Democratiam formare aggressi sunt, & à Scotiæ regno se separaverunt, etsi meo quidem judicio Oligarchia introducta sit.

Sed antequam de numero Rerumpublicarum, quæ jam sunt, agamus, hoc prius disquirendum; An omnes Regiones, quæ eundem agnoscunt supremum magistratum, unam constituant Rempublicam, an diversas? Rex Hispaniæ imperat Hispanis, Neapolitanis, Belgio, Siculis, Americanis, Philippinis insulis, quæ regiones in diversis terræ partibus valde à se invicem remotæ jacent, ergo omnes hi populi unum regnum constituere dicendi sunt, an verò diversa? Sic Daniæ Rex Norwegiæ imperat, Sueciæ Rex Finlandiæ, Lappiæ. Turca plurima regna tenet; sicut Romani olim. Veneti Cretam, Belgæ fœderati Amboinam, Bandam, & alia in Oriente possident. Helvetii stipendiariis populis imperant. Dico itaque, primò, Ex diversitate & numero regionum non posse nec deberi de numero Rerumpublicarum judicari. Belgium enim duas comprehendit Respublicas, Regiam & Fœde-

Fœderatam. Sic in Germania ſunt Helvetii. Hungaria partim Cæſari Turcarum, partim Cæſari Germano paret. Quemadmodum itaque in regione unius nominis, & quæ antehac unum agnovit Dominum, poſſunt duæ Reſpublicæ exiſtere, ità quoque non abſurdum eſt, duas pluréſque regiones, quæ antea ſingulis ſubjecti erant Dominis unam Rempublicam conſtituere. Difficultatem autem hîc facit homonymia, quæ in vocabulo Regni latet. Hoc enim interdum pro ipſa regione, interdum pro forma regiminis ſumitur, ſicut Reſpublica etiam duplici hoc ſenſu ſumitur.

Dico ſecundo, quæſtionem propoſitam in Regia tantum poteſtate locum habere non item in Ariſtocratia & Democratia. Namque ſi duo pluréſve populi eundem agnoſcant Ariſtocraticum magiſtratum, vel ſi una eorum ſit Democratia, ecquis dubitet, quin ea Reſpublica ſit una? Exempla verò de Venetis, Belgis & Romanis (ante Cæſares) huc non quadrant. Etſi enim Reſpublicæ hæ ſint Democratiæ vel ex Democratia & Ariſtocratia miſtæ, id tamen de membris modò ſeu civibus intelligendum eſt, qui tali modo gubernantur, ſed de aliis, qui cives non ſunt, alia ratio eſt. Hi enim, quoniam & à votis & à muneribus ejus Reipublicæ, cui parent, excluduntur, non Ariſtocratico nec Democratico, ſed regio reguntur imperio, & Reſpublicæ illæ perſonam Regis repræſentant. Sic Romani Aſiam, reliquaſque provincias regio imperio tenebant miſſis Proconſulibus, qui ſummam poteſtatem obtinebant. Ità Belgæ in inſulis Amboina, Banda, &c. præfectos ſuos habent, qui ibi imperant, Veneti in Creta, quo nomine titulum Sereniſſimæ Reipublicæ gerit. Itaque talia regna diverſa eſſe ab ipſis Rebuſpublicis manifeſtum eſt, cum ſit diverſa ratio magiſtratuum. Etenim diverſæ regiones ſi unam conſtituant Rempublicam, ſingulæ mittunt unum magiſtratus membrum vel plura, quæ autem regiones ſubjectæ ſunt uni Reipublicæ, illæ non mittunt gubernatorem, ſed illis mittitur.

Dico itaque tertio, quoniam quæſtio propoſita locum tantúm habet in illis regionibus, quæ unum agnoſcunt Regem, cum antea diverſos habuerint vel Reges vel alterius formæ Rempublicam, cum diſtinctione reſpondendum eſſe. Vel enim in regiones illas Regi ſumma & abſoluta eſt poteſtas adeóq; æqualis; vel diſpar eſt ratio, & Rex tantum eſt ſecundum leges.

Si primum, omnes illi populi unum Imperium ſeu regnum conſtituere cenſendi ſunt, nec diverſitas regionum aut diſtantia hoc impedire poteſt, neque quod conſuetudo loquendi regni eam appellationem non admittere videatur, cum ipſam rem hic habeamus. Ità Imperium Romanum, redactâ ad Imperatores poteſtate, ità Monarchia Perſica, Macedonum, Babylonia cenſentur fuiſſe

fuiſſe unum Imperium, etſi plurima regna & disjuncta à ſe invicem in illa coierint: ſic hodie Turcicum regnum complectitur Europæ, Aſiæ, Africæ regiones, Rex Hiſpaniæ multa remota à ſe invicem regna, & vicina, Arragoniæ, Baſcaiæ. ſi autem diſpar ſit Regi poteſtas in illas regiones, præſertim & ſi reliqua adminiſtratio Reipublicæ quoque diverſa ſit, non erunt illæ unius Reipublicæ membra, ſed diverſa regna, & plerunque in his accidit, ut Rex quædam regna jure hæreditatis, reliqua per electionem modo obtineat. Sic cum Germani Carolum V. Hiſpaniæ Regem eligerent ſibi Cæſarem, neutiquam ex Hiſpania & Germania unum fiebat regnum; Et cum Sigiſmundus, filius Regis Sueciæ, electus à Polonis Rex, mortuo parente, Sueciæ quoque regnum anno 1594 teneret, non ideo ex Polonia & Suecia unum conflatum erat regnum, quia admodum diverſa Regis in hæc regna erat autoritas, & tota gubernatio regnorum diverſa, nullum quoq; inter populos hoſce fœdus aut vinculum.

Hiſce præmonitis enarrabimus omnes Reſpublicas ſeu ſummas poteſtates, quibus hodie terrarum orbis patet.

In Europa itaque ſunt Reges hi.

1. Cæſar Germaniæ electitius, qui etiam dimidiæ Hungariæ electitium regnum tenet, quod ad Germaniæ regnum non pertinet.

2. Rex Hiſpaniæ, qui præter Hiſpaniam, tenet Americam fere totam, regnum Neapolitanum, (feudum Pontificis, cui etiam ſingulis annis tributum ſolvit) Belgii partem, Philippinas inſulas, omnes hæreditarias.

3. Rex Galliæ, qui præter Galliam hæreditariam nullas alias regiones poſſidet, exceptis iis quas Hiſpano nuper in bello ademit. Eodem tamen jure prætendit Novam Franciam ſibi deberi in America, quo Hiſpanus totam fere Americam poſſidet.

4. Rex magnæ Britanniæ (Angliæ nimirum & Scotiæ) & Irlandiæ hæreditarius. Etſi enim hoc tempore Anglia peculiarem Rempublicam conſtituat, tamen quia violenta videtur gubernatio, & diſcordiâ valde laborat, nullus dubito, quin eam Rex brevi ſit recuperaturus: ſed de hoc futura tempora docebunt.

5. Rex Luſitaniæ hæreditarius, ſed Hiſpanus non agnoſcit illum.

6. Rex Poloniæ electitius & admodum reſtrictæ poteſtatis. Lithuania olim quidem hæreditaria erat, quia anno 1386 Poloni elegerunt ſibi Regem Magnum Ducem Lithuaniæ Iagellonem: ſed cum anno 1571 ultimus Rex Poloniæ & Lithuaniæ ſine hærede obiret, Lithuania adjuncta eſt (incorporare vulgus dicit) regno Poloniæ, & Reges electi Poloniæ ſimul obtinent Lithuaniam.

7. Rex Daniæ electitius est, Norwegiam autem hæreditatis jure tenet. Et quia duo hæc regna diversis utuntur circa magistratus institutis, neq; regia potestas eadem, ideo duo regna, non unum censenda sunt.

8. Regno Sueciæ hæreditario jam præest Regina, animo heroico, literarum atque omnis eruditionis amore, favore, liberalitate & humanitate erga doctos palmam regibus præripiens. Et quoniam Finlandia non minus est hæreditaria, ideo cum Suecia unum regnum facit.

9. Magnus Dux Moscoviæ seu Russiæ albæ hæreditarius. Quod enim Rex non vocetur, id nihil regiæ potestati derogat, ut antea diximus, quia rem, non vocabulum jam spectamus. Imo titulum Imperatoris & Cæsaris gerit totius Russiæ, quæ in Asiam usque se extendit.

10. Imperator Turcicus, hæreditarius. Etsi enim & in Asia & in Africa plura regna obtineat, tamen quia in Europa sedem Imperii defixit, & non paucas regiones & quidem illustres possidet, Regibus Europæis annumerandus est. Vasallos regio titulo habet plurimos: sed ut jam ante diximus inter Regem vasallum & Principem vasallum nulla est differentia, atque [illegible]gem esse & simul vasallum (respectu ejusdem regni, cujus Rex dicitur) pugnant inter se, si propriè sumamus vocabulum Regis.

11. Italia varias in Respublicas & regna, etsi ità non vocentur, distribuitur.

1. Pontifex Romanus, electitius, etsi Regis titulum non obtineat, Regium tamen exercet imperium in multas provincias, quas supra enumeravimus. Præterea vasalli ejus sunt Rex, Neapolitanus sive utriusque Siciliæ Dux Parmensis, Urbini, &c. Dux Subaudiæ, Mantuæ, Mutinæ vasalli sunt Cæsaris Germanici.

2. Magnus Dux Tusciæ sive Florentiæ.

Itaque Regiæ potestatis Respublicæ in Europa sunt duodecim, & annumeratis Hungaria & Norwegia, quatuordecim: Si Lusitanum excludas, tredecim. Respublicæ verò Democraticæ vel mixtæ ex Aristocratia & Democratia sunt hæ. Tres in Italia.

1. Respublica Venetorum antiquissima, cui Cretense regnum subjectum est.

2. Genuensium, cui Corsica insula paret.

3. Lucensium.

4. Helvetiorum, quibus populi, dicti Helvetiorum stipendiarii parent.

5. 6. 7. Rhætorum in Alpibus tres sunt Respublicæ, fœdere quidem junctæ, sed non sub eodem supremo magistratu.

8. Vallesiorum Genevensis Respubl. libera in Subaudia.

9. Belgarum Fœderatorum Respublica, omnium potentissima, cui non paucæ Insulæ & loca in Oriente parent, Amboina, Banda, Moluccæ, Malacca.

ET

ET JACATRA IN JAVA, &c.

SI Angliam aliquis pro tempore annumerandam censeat, erunt novem.

In Europa itaque Respublicæ sunt viginti duæ, aut tres.

ASIÆ REGNA.

IN sola Europa reperiri alias præter regiam Respublicas, jam antea dictum est; In Asia itaque & Africa regna tantum enumeranda veniunt. Turcarum Rex jam in numero Europæorum numeratus est, itaque eo omisso reliquos ponemus.

2. Rex Chinarum, qui & Cæsar appellatur, quia habet vasallos regio nomine.

3. Rex Tartariæ, magnus Cham, ex Tamerlanis Tartari progenie.

4. Rex Indiæ, sive magnus Mogor, qui sibi imperium arrogat in omnes terras, quæ inter Chinense, Persicum, Tartaricum & mare Eoum interjacet. Sed nunquam omnes subjugare potuit, etsi plurimos Vasallos regio nomine habeat.

5. Rex Siamis in India, qui etiam Cæsar dicitur interdum à Belgis propterea quod vasallos regio nomine gaudentes habeat. Ipse tamen Cæsaris Chinensis vasallus aliquando fuit.

6. Peguanus Rex, & alii multi in tractu Malabarico & Coromandelio, inter quos Cæsar Calecutanus præcipuus est.

7. In montosis regionibus inter Persiam & Indiam tres vel quatuor adhuc sunt reges, magno Mogori non parentes, de quibus nihil certi scriptum reperire potui, quia nullus Europæorum istas terras adiit. Hi sunt Reges Asiæ Continentis, quibus Insularum regna adjicienda sunt. Namque licet Europæ adjacentes insulæ omnes imperio Dominorum in Continenti Europa pareant, neque ulla hodie proprium Dominum colat (olim verò singulæ singulos ferè imo plures habebant reges) tamen in Insulis Asiæ Reges præsunt, quorum quidam reguli potius dicendi & aliorum vasalli atque tributarii sunt. Sunt autem absoluti Reges hi.

1. Rex Achemi in insula Sumatra. Namque an plures in ea Reges hodie sint non constat, quia altera ejus pars tenetur à feris & anthropophagis.

2. Cæsar Japoniæ, multis vasallis regio titulo gaudens.

3. Java Reges numerat undecim, ex quibus tres, nempe Japaræ, Tubanis & Matarensis potentissimi sunt & Cæsaris titulo ferocientes.

4. Insula Ceilon quondam multis regibus parebat, jam tota ad unum Regem cujus aula in Candys est, redacta. Fuit quondam vasallus Chinæ, sed jam nullum agnoscit superiorem.

5. Rex in Borneo.

Insulæ Amboiæ, Bandæ, Molucæ Belgis parent. Aliæ quoq; magno numero parvæ insulæ subjectæ sunt aliis Regibus.

Sic

Sic itaque in Asia numeravimus Reges viginti quatuor.

AFRICÆ REGNA.

ÆGyptum obtinet Turcarum Imperator, & provinciam Barcanam. Ejusdem vasalli & tributarii sunt Reges in littore Maris Mediterranei, cujus regiones jam vocantur uno nomine Barbaria. Sunt autem regna hæc, Tunetanum, Tremisenum, Fessanum, Maurocanum, Darense.

Abassinorum Imperium.

Monomotapæ regnum.

Reges in Melinde, Mozambique, Quiloa, Mombaza.

Congi Rex.

Guineæ Reges electitii multi, & Rex Melli, Tumbuti, &c.

Rex in Benin potentissimus. Alii quoq; multi Reges in regionibus quæ adjacent mari Atlantico. de quibus exactam cognitionem nondum habemus quemadmodum etiam de Internis Africæ regnis. In Leone tamen Africano multa, reperiuntur: sed quidam de fide ejus dubitant. Idē liberam gentem commemorat ad Maroccense regnum.

Insula adjacet Africæ, dicta Madagascar, quæ Regem fertur unum agnoscere.

AMERICÆ REGNA.

MAximam & optimam Americæ partem Hispaniæ Rex tenet, quædam tamen regiones ei non parent, nempe hæ.

1. Chilenses. Etsi enim aliquam hujus regni partem Hispanus expugnaverit, gens tamen bellicosa jugum ferre recusavit: imo jam sine Rege hæc gens vivere dicitur.

2. Sylvestres & feri homines in regno Chicæ, circa Magellanicum Fretum, Hi utrum sine ullo societatis fœdere, an regia gubernatione vivant, ignotum est: namq; nautæ littora tantum perlustrârunt.

3. In parte Septentrionali Americæ plurimi populi ab Hispanis nondum subjugati vel qui jugum excussérunt, reperiuntur; suis tamen regibus obedientes, nempe in Canada, Nova Francia, Virginia. Atque in regnis nondum exploratis, Quivira & Anian.

Ita paucis Europæ, Asiæ, Africæ, atque Americæ diversas gubernationes enarravimus, in quibus Cæsaris titulum gerunt octo circiter, nempe Cæsar Romanus, Turcarum, Chinæ, Moscorum, Japoniorum, Calecutanus, Ceilanus, & unus vel alter in Java.

Quod ad Magellanicam terram attinet, quænam in illa sint Respublicæ, adhuc incognitum est. Insularum, quæ illi adjacent & jam ab Europæis inspectæ, incolæ Reges suos agnoscunt.

Hæc de Rebuspublicis in Genere præmittere consultum duxi: jam ad Japonici Regni descriptionem accedendum erit.

FINIS.

H·11